Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2011

Quelle:
Copyright:

enim a *Capitulari Theotbulfi, Teutulfi, Theodulphi* natione *Gothi*, in cujus Epitaphio a *Mabillonio* prolato, et a variis relato pro

Protulit hunc Speria, Gallia sed nutriit,

legendum puto *Protulit Hesperia*, quemque *Carolus* M. ex *Italia* evocatum post medium Sec. VIII. *Aurelianensem* Praesulem creavit, initium ducitur, sed a gemino Ejus *Fragmento* homiletico, quod primus edidit *Luc. Dacherius Spicil.* T. V. p. 117. edit. recent. T. I. p. 254. *Jac.* vero *Sirmondus Opp.* T. II. *col.* 1019. repraesentavit. Quo minus ejus esse dubites, *Codex* noster Autoris, qui a. 821. obiit, temporibus vicinus fuit. Orditur vero *primum*, quod Sermonem potius integrum voces: *Ad uirtutes difficile consurgimus. ad uitia sine labore dilabimur* &c. ut in Editis; legitur tamen: *in maxima proruunt*, pro *in maximis*, item: *in immunditiam* (mens) *agitur*, pro *itur*, item *exemplo — manifestum est*, pro *aperitur*, item *premit elationem* pro *tremit*, item *et non prorumpunt* pro *ut non prorumpant* &c. *Secundum* Fragmentum incipit nobis rectius: *Quando peccatum quodcumque delectat* &c. quam ut habetur in Editis: *Quoniam peccatum* &c. Legitur illud etiam, ut Pars ultima *Sermonis* CXVII. in *Append.* T. V. Opp. *Augustini* edit. *Maur. col.* 214. ut adeo totus ille Sermo *Theotbulfi* esse possit. Quod mirere, Lacinia illa ad *Desiderium* quendam, quam *Bigotus* in Codice *Vaticano* subnexam reperit, et *Dacherius* simul edidit, in Nostro quoque adhaeret; multo vero castigatior, ut deprehendet, cui operae pretium fuerit. Unum tamen non omittam. Quaesiverat *Desiderius* quis optime divinas Scripturas tractarit. Primas dat Scriptor laciniae *Augustino episcopo*. Ex hoc Edita *augustissimum episcopum* facere, neque error hic sagacissimum *Sirmondum* advertit. Emendatus tamen est in secunda *Dacherii edit.* T. I. p. 257.

Fol. jam 25. Ipsa *Theotbulfi Capitula* auspicantur, numero XLVI. ut a *Baronio*, *Busaeo*, et Concilior. Collectoribus saepius edita sunt. Neque hic deforet lectionum spicilegium, si cum *Dacherio*, aut *Sirmondo* contendas. Ita Cap. I. Codex habet *sacro sanguine* pro *unguine*, Cap. II. *oratione ornatur*, ubi Edita omittunt *oratione*, quod poni debet propter sequens: *lectio videlicet et oratio*. Cap. IV. Edita post *tres clericos* omittunt *sive laicos*. Cap. VII. pro αλογῳ illo: *responsione plebis, admonitione sacerdotis, responsione nihilominus plebis*, lege: *ita per ipsius admonitionem* (allocutionem?) *sacerdotis responsione nihilominus eget plebis* &c. Adtexuit ad calcem Amanuensis *Damasi* Quaesitum de missarum Solemniis quo tempore agendis ad *Hieronymum*